

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Plvtarchi Chaeronensis Moralia, Qvae Vsvrpantvr

Svnt Avtem Omnis elegantis doctrinæ Penvs : Id est, varij libri: morales, historici, physici, mathematici, denique ad politioem litteraturam pertinentes & humanitatem : omnes de Graeca in Latinam linguam transscripti summo labore, cura, ac fide

**Plutarchus**

**Francoforti ad Mœn, M.D.LXXXII**

De capienda ex hostibus utilitate libellus

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-289](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-289)

bet ad prædicta adiunge signum non exiguum, quod recte proficiens nullū iam peccatum exiguum putat, sed omnia studiose vitat atq; obseruat. Sicut enim qui diuites se fore desperant, paruos sumtus facere pro nihilo habent, q̄ nihil magni futurum putant si paruum paruo adiiciatur: spes autem ad finem propius accedēs simul cum diuitiis auget diuitiarum amorem. ita & in rebus ad virtutem pertinentibus, qui non multa concedit, neq; dicit, *Quid tum postea, modo sic*, alias meliūs: sed singulis intentus, vbi vel minimo peccato vitium sese insinuans veniæ locum dare videtur, ægre fert & indignatur. manifestum facit se purum aliquid sibi iam comparasse, quod inquinari nullo modo velit. faciles enim & negligentes facit, vt Æschylus ait, opinio concepta nihil eorum quæ habemus magnū esse. Macerīā aliquam aut sapem conficientibus nihil refert obuiū quodq; lignum aut lapidem humi iacentem adhibere, aut columnā a monumento aliquo delapsam subicere. quo modo & homines vitiosi omnia promiscue facta, omnes temere actiones cōgerunt ac coaceruant. At qui in virtute exercenda proficiunt, quibus vitæ, veluti facti ac regij edificij, iactum iam est aureum fundamentum, nihil eorum quæ aguntur temere admittunt: sed veluti amulli rationis aptant singula atq; concinnant. quo de edificio vsurpari potest Polycleiti dictum qui difficilimum opus tractare eos pronūciauit, quibus lutum est ad vnguem exigendum.

## PLVTARCHI DE CAPIENDA

*ex hostibus vtilitate, libellus.*



IDEMVS te, Corneli Pulcer, simul cum reipub. administratione mansuetissimum vitæ genus delegisse, in quo cū maxime publico profis, priuatim compellantibus te facilimum iucundissimumq; præbes. Enimverò regionem aliquam inuenire licet, quæ feris careat, quod de Creta narratur. reipub. autem nulla adhuc exitit, quæ nullam inuidiam, nullam æmulationem aut studium contendendi, qui sunt affectus inimicitis generandis fecundissimi, protulisset. Quod si nulla alia res, ipsæ saltem nos inimicitis implicarent amicitiz.



citæ. quod & Chilo ille sapiens sensit, cum è dicente neminem se habere inimicum, interrogauit nullumne etiam amicum haberet. Itaque viro in republica versanti cum alias de inimicis disquisitioni mihi non videtur negligenda, tum Xenophontis dictum attente considerandum, qui cordati hominis pronunciat esse, Etiam ex inimicis vilitatem capere. Quæ itaque ea de re nuper mihi disserere subiit, ea totidem conscripta verbis ad te mitto, ommissis maxime his quæ in præceptis reipub. administranda scripsimus: cum videam illum tibi librum frequenter esse ad manum. Præcis hominibus satis fuit, à diuersæ naturæ animalibus nullam accipere iniuriam: isque fuit finis certaminum aduersus feras. Posteriores etiam in suos vertere eas vsus didicerunt, carnibus vescentes, pilis vestientes, se, fellis aut coaguli medicina videntes, pellibus se arman-tes. adeo vt non iniuria metuendum sit, ne si feræ homines deficerent, vita humana esset futura belluina, in ops & fera. Proinde quoniam aliis satis est nullo ab inimicis affici damno, prudentes autem etiam vilitatem ex iis capere Xenophon dixit: fidem eius dicto derogare non conuenit, ars tamen ac via & ratio quærenda est qua id bonum consequantur, quibus absque inimico viuere non licet. Non potest quamuis arborem colonus exuere syluestri natura, neque venator omnia cicurare animalia. inuenta tamen est ratio, qua & ille ex sterilibus, & hic ex feris emolumentum aliquod caperet. Aqua marina neque potui est, & vitiosa: pisces tamen alit, hominibusque in diuersissimas regiones proficiscentibus loco vehiculi est. Cum Satyrus ingnem primò sibi visum osculari vellet & amplecti, monet eum Prometheus,

*Barbam caper tuam deslebis protinus,*

*Tangentem adurit ignis.---* interius lumen præbet,

& calorem, & vsus gnatis instrumentum est omnium artium. Inimicum etiam consideremus, an damnosus cætero qui & intractabilis, quodam tamen modo an sam sui vtendi præbeat. Multæ sunt res parum gratæ, inuisæ, & aduersæ iis quibus obtingunt. vides tamen & morbis corporis nonnullos ad ocium vsos, & laboribus alios oblati cõfirmasse atque exercuisse corpora. nonnullis exilium & iactura pecuniæ viaticum fuisse ad ocium & philosophiam, vt Diogeni

*Vsus reru  
non opti-  
marum.*



& Crateti. & Zeno cum nunciaretur nauim ipsius qua negociabatur fractam, Bene facis, inquit, fortuna, quæ nos intra palliolum compellis. Sicut enim animalium ea quæ validissimo sunt ventriculo & sanitate firmissima, serpentes ac scorpions vorant atq; cõcoquunt, quædã etiam lapidibus & testis aluntur vigore & calore spiritus alteratis, cum contrã languidi & morbosi vino & pane sumto nauseât. ita stulti amicitias etiam corrumpunt, prudentes et inimicitias uti cõmode norunt. Primò omnium id quo inimicitia maxime nocent, cautis videtur mihi fieri commodissimũ. Quid-

*Inimicorũ  
obseruatio  
& insidia  
nobis Cri-  
les.*

nam illud est, inquires? Inimicus perpetuo vigilans res tuas infensus obseruat, circuitq; vitam tuam vndiquaq; ansam nocedi captans, neq; tantum per quercum visũ vt Lynceus penetrat, aut per lapides vel testas, sed & per amicos, famulos, familiares quoscunq; quid rei geras pro virili exploras, & quid consilij capias per cuniculos inquirens ac perserutans. Nam sæpe nobis nõ obseruantibus ob cunctationem & negligentiam ægrotant atq; adeo moriuntur amici. Inimicorum tantum nõ etiam somnia curiositate nostra perquirimus. morbus quidem, æs alienum, dissidium cum uxore tuum facilius te ipsum, quàm inimicum fefellerit. Maxime autem peccatis in hæret inimicus, eaq; inuestigat. & sicut vultures ad odorem corruptorũ putredine cadauerum feruntur, pura & sana non sentientes. ita inimicum vitia vitæ malæq; affectiones mouent, ad hæc assiliunt maleuoli, & eaq; arripiunt & laniant. Vtile igitur est, vt vsquequaq; cautus tibiq; attentus viuas, & neq; vel dicas vel agas quicquã temere aut inconsiderate, sed vitam tanquam in exacta vitæ ratione conserues omnis reprehensionis securam. hæc enim cautio sic reprimens animi motus, rationemq; in officio cohibens, studium ingenerat atque institutum recte inculpatq; viuendi. Ac quemadmodũ continentibus vicinorum bellis atque expeditionibus ciuitates edoctæ bonas leges reipublicæq; sanam formã seruare volunt: ita qui ob inimicitias coacti sunt sobrie viuere, & a negligentia sibi incuriaq; cauere, nihilq; nisi subductis utilitatis rationibus agere, eos consuetudo etiam non sentientes ad vitæ rationem errorum vacuam adducit, moreq; componit & ornat, vel paululum adiuuante doctrina. Quibus enim in promptu est illud semper,

*Prob,*



*Proh, quam gauderet Priamus, Priamoque creatr:* *Iliad. a,*

eosid monet, dehortaturque & deducit abiis agendis, quæ inimicis materiam gaudendi deridendiq; essent præbitura. *255.*

Equidem histriones atque cantores scenicos videmus sæpenumero in theatris pro sese remisse ac nulla cum alacritate aut solertia agere: orta autem concertatione aduersus alios, non seipfos modo, sed & instrumenta sua maiore cū diligentia ad certamen aptare, fides explorare, accuratiufque concentum instruere & tibiis canere. Ita & qui aduersarium sibi vitæ existimationisq; suæ paratum nouit esse inimicum, attentius seipsum obseruabit, res suas circumspiciet, vitamq; suam constituet. Nam & hoc vitij proprium est, quod cum peccamus, inimicos magis reueremur quam amicos. Itaque Nafica nonnullis putantibus atque affirmantibus rem Romanam in tuto esse statu collocatam, delectis Carthaginensibus, & in seruitutem redactis Achæis: nunc vero, dixit, periculose res nostræ se habent, qui neque quos metuamus, neque quos reueremur, nobis reliquos fecimus. Adde his Diogenis effatum, oppido philosophicum

*Inimicos*  
*20* & ciuile interroganti cuidam, Quo pacto vlcisca inimicū? *vlciscaur,*  
respondit, si ipse probus honestusque fias. Cum vident inimicorum equos præclere se gerere, aut laudari canes, molestia affici solent homines. si agrum probe excultum cernunt inimici, aut beneflorentem hortum, ingemiscunt. *qui probus est.*

*25* Quid censeres futurum, si te exhibeas spectandum iis hominem iustum, prudentem, frugi, in dicendo laudabilem, in agendo purum, in victus ratione mundum,

*Sulcum profundum habentem in pectore constitum*  
*Tuo, Seneranda consilia vnde pullulenti?*

*30* Ait Pindarus homines victos linguam ita ligatam habere, vt mutire non audeant. Non simpliciter hoc, neque de omnibus verum est, sed de his, qui superatos se vident ab inimicis industria, bonitate, magnanimitate, humanitate, beneficiis. hæc, vt ait Demosthenes, linguam auertunt, os obturant, spiritum intercludunt, silentium imponunt. *35*

*Tu te malis meliorem præsta. nam licet.*

Vis inimico vt ægre sit facere. noli ei exprobrare lasciuiam, molliciem, intemperatiam, illiberalitatem: ipse fortis esto, castus, verax, humanumq; te & æquum iis cum quibus tibi *Conspiciam* res est præbe. Quod si ad maledicendum prouehere, cura di modus.



vt quam longissime ab sis ab iis, quæ alteri obiicis. excute animum tuum, vide vbi sis mendosus: ne tuum tibi vitium occinat illud tragædi,

*Aliis mederi vis, ipse vlceribus scatens.*

Si illiteratum dicis, studium dicendi tuum laboremq; intendes: si timidum, excita fortitudinem tuam, Si lasciuum, dele ex animo si quod restat adhuc delitescens libidinis vestigium. Nihil enim turpius est aut molestius maledicto in autorem recidente. sed sicut refractum lumen magis lædit imbecillos oculos, ita & maledicta grauius offendunt, ab ipsa veritate in maledicentem retorta. Sicut enim Cæcias nubes, ita vitiosa vita opprobria ad se trahit. Plato sane quoties interfuisset hominibus contra decorum agentibus, digressus seipsum solebat ita alloqui: Numnam ipse quoq; fortassis tali vitio laboro? Et qui vituperauit alterius vitia, si suam ita rim examinet atque emendet in diuersam partem dirigens atque auertens, aliquid ex conuiciando habebit utilitatis: cum res ea alioquin inutilis ac vana & videatur & fit. Vulgo rident, si quis caluus aut gibbosus ipse, aliis ea vitia exprobret. In vniuersum vero ridiculum est iacere conuicium in alium, cum vicissim tibi conuiciū ab eo reponi possit. Quale est quod Leo Byzantius gibboso cuidam oculorum ipsi imbecillitatem exprobranti respondit: Humanum mihi in fortunium vitio vertis, ipse in dorso Nemesin gestans. Non itaque adultetium obiice alteri, ipse infano puerorum amore flagrans, neque prodigalitem, sordidus ipse. Alcmaon Adrastum hoc maledicto incescit,

*Tibi que maritum interfecit suum est soror.*

Quid Adrastus? non alienum sed proprium ei reponit opprobrium,

*Matrem necasti tu manu tuam.*

Et Domitius Crasso: nonne tu ob mortem murenæ quæ in viuario tuo alebatur plorasti? vicissim Crassus: nonne tu absque vlla lacryma tres tuas vxores extulisti? Enimvero non ingeniosus sit aut vocalis aut proteruus oportet qui infligere alteri maledictum vult, sed inculpatus. videtur enim deus nulli ita serio mandasse vt seipsum noscat, atque conuicium alteri facturo. ne vbi dixit quæ voluit, quæ non vult audiat. Solet enim his euenire illud Sophocleum:

-- lingua



--lingua abusus fuit

*Inuitus audit, qui Solens dixit male.*

Hoc itaq; commodi inest in maledicendo aliis. Sed nō minus vitilitatis est in maledictis inimicorum audiendis. Vnde  
 5 ab Antisthene dictum est recte, eum qui saluus esse debeat, opus habere vel probis amicis, vel inimicis vehemētissimis, quod illi admonendo peccantes, hi criminando à vitiiis auertant. Sed quoniam nostra ætate ad liberas reprehensiones voxalde exili est prædita amicitia, loquax in adulando, muta in castigando: audienda est nobis ex inimicis veritas. Sicut enim Telephus domestico destitutus remedio, vulnus hostili hastæ sanandum præbuit: ita quos defecit beneuolus castigator, ij vt inimici sermonem audiant necesse est reprehendentis & punientis culpam: non animum  
 15 maledicentis, sed rem ipsam considerantes. Iasonem Thefalū qui volebat interficere, gladio vomica eum aperuit, eaq; rupta salutem homini attulit. sic sæpe conuicium ab irato aut inimico nobis inflictum, animi morbum latèrem neglectum ve sanauit. Sed plerique maledictis impetiti non  
 20 considerant an vere illis aliquid obiiciatur, quid sit in maledicente dispiciunt. & instar athletarum puluerem cōuiciorum sibi ipsis non detergent, sed eodem alios conspergunt atq; opplent, atq; ita cum his luctantur seq; mutuo deiciūt. Enimvero ab inimico crimine aliquo notatus, si id verum  
 25 sit, maiore studio id expurgare debes, quam vestis aliquam demonstratam maculam. Si falsum, tamen quaerenda est causa quæ criminationi occasionem dedit: cauendumque & verendum, ne imprudentes tale aliquid aut simile eius quod obiectum fuit committamus. Verbi gratia, Lacydem  
 30 Argiuorum regem comæ quædam dispositio, & incessus delicatior, calumniæ molliciei obnoxium reddidit. vt & Pompeium, hominem à mulierositate & libidine remotissimū, quod vno digito caput scaberet. Crassus insimulatus est incestæ cum Vestali quadam virgine consuetudinis, quod  
 35 cum ab ea emere prædium quoddam pulcrum cuperet, sapius eam demerendi gratia conueniret. Postumia quod promptius rideret, & cum viris liberius colloqueretur, in suspicionem nō seruata pudicitia venit, ita quidem vt etiam causam in iudicio cogeretur dicere: & infontem criminis compertam Spu. Minucius pontifex maximus cum absolueret,

Conuicio-  
rum audj-  
endorum  
Sulis ra-  
110.



ueret, monuit ne verbis vitæ castimoniam non æquantibus  
vteretur. Themistoclem etiam innoxium, amicitia cum  
Pausania vsus & missi crebro nuncij ac litteræ, in suspicio-  
nem prodicionis vocauerunt. Ergo cum aliquid obicitur  
falsum, non id ideo quia vetum non est, contemni debet  
aut negligi: sed circumspectum, quodnam tuum dictum  
aut factum aut propositum, vel quis eorum qui tecum sunt  
ansam similitudine huic calumniæ dederit, idque studiose  
cauendum porro & fugiendum. Si enim alij rebus circum-  
uenti in speratis atque tristibus discunt quid sit utile. quo-  
modo Merope ait:

--- *me vero fortuna vices,  
Carissimis meorum mercedis loco  
Erudiere ademptis.*---

quid impedit, quo minus gratis docentem magistrum admit-  
tentes inimicum, utilitatem capiamus, & aliquid eorum quæ  
nos latebant discamus? Multa enim inimicus amico facili-  
us sentit, cum amator, ut Plato ait, cæcitiat in amata re. O-  
dio præter curiositatem etiam loquacitas adest. Hiero, cum  
ei quidam inimicus oris scæterem exprobrasset, domum se  
ad uxorem recipiens, Quid hoc, inquit, rei est? cur tu mihi  
hoc non indicauisti? Illa vero, ut erat pudica & simplex, Exi-  
stimabam, ait, omnes viros sic olere. adeo & quæ in sensus  
incurrunt, & ad corpus pertinent, & omnium conspectui sunt  
exposita, prius ex inimicis quam ex amicis aut familiaribus  
cognoscimus. Iam linguæ continentiam, quæ pars est vir-  
tutis non exigua, obtemperantem rectæ rationi semper habe-  
re non potest, nisi qui exercitatione, accuratone, laborisq;  
contentionæ pessimos affectus, qualis est ira, edomuerit.  
Voces enim quæ inuitis excidunt, de quibus illud dici potest, 30

*Lingua mo-  
derata.*

*Olyf. a,  
64.*

*Erupti claustris vallati dentibus oris,*  
& quod nonnulla verba euolant fortuito, maxime ubi ani-  
mi excandescencia exercitatione non subacta quasi labi-  
mur & diffuimus: hæc inquam proficiscuntur ab impoten-  
tia animi iram regere ignari, propter ruditatem iudicij, &  
vitæ rationem ferociorem. Cæterum orationi, leuissimæ  
rei, grauissima (ut est apud diuinum Platonem) & apud deos  
& apud homines pœna est proposita. Silentium ubique est  
impune, neque tantum, quod ait Hippocrates, contra si-  
tim valet, maxime autem adhibitum ubi maledictis impe-  
timur,



timur, grauitatem habet, estque Socraticum quippiam, aut potius Herculeum. siquidem Hercules etiam

*Non, quantum vel musca, animum aduertit maledictis.*

Neque hoc sane grauius & pulchrius est quiescere inimico  
5 criminante, & maledicum

*Velut obstreperum scopulum praternatare:*

sed exercitatio potior est. Condocefactus enim tacitus ferre conuicia inimici, facile etiã feres incitationem vxoris maledicentis, neq; perturbaberis amici aut fratris acerbio-  
10 rib. vocib. & patrem quoq; aut matrem iacentem vel verbera ingerentem sine ira sustinebis. Etenim Socrates Xanthippam ferebat, iracundam morosamq; mulierem quod facilius cum aliis se versaturum putabat, si istam sufferre adueuisset. Multo autem præstat inimicorũ & alienorum dictoria ac conuicia, iras, & obscenas insectationes exercitatio-  
15 ne præparatum posse animo quieto & æquo tolerare. Atq; hoc modo licet in inimicitiiis mansuetudinem & malorum tolerantiam demonstrare. Simplicitati & magnanimitati atq; bonitati plus loci hic est, quam in amicitis. non enim  
20 tam pulcrum est, bene amico facere, quam turpe non facere id, cum necessitas eius requirit. Cæterum oblata occasione vlciscendi inimicum, eum missum facere, æquanimitatis est, qui vero & miseratur inimicum afflictum, & opè fert indigenti, & filiis eius ac familiæ aduerso ipsorum tempore  
25 operam suam studiumq; defert: hunc qui non amat ob animi humanitatem, neque ob probitatem laudat,

*Huic pectus atrum est, atque adamantinum,*

*Efficta ferro viscera vel rigent.*

*Æquanimitas aduersus inimicos.*

Cæsari cum statuas Pompeij deiectas erigi iussisset, Cicero  
30 dixit: Pompeij statuis restituendis tuas delixisti. Itaq; ne laudationi quidem parcendũ est inimici, merito suo eã reportantis. hoc enim laudanti maiorem conciliat quam laudato laudem: & cum alio tempore vituperat, creditur non odio hominis id facere, sed quia factum eius improbet. &  
35 quod pulcherrimum est atq; vtilissimum, longissime abducitur ab inuidendo amicis res secundas aut familiarib. gloriam rei bene gestæ, qui vtu didicit etiam inimicos laudare, neque morderi eorum successibus, aut inuidere iis prosperitatem. Et vero quænam alia exercitatio maiorem conferat animis nostris vtilitatem, aut affectionem meliorem,  
quam



quam quæ ex eis inuidiam æmulationemq; malignam aufert, vt enim in ciuitate multa necessaria quidem ea, sed tamen mala, vbi consuetudine recepta vim legis adipiscuntur, non facile possunt aboleri, quantumuis damnosa sint. ita inimicitia cum odio introducit inuidiam, obrectationem, læticiã de aduersis inimici rebus, acceptarum iniuriarum memoriam, eaq; in animo relinquit. accedunt fraudes, imposturæ, & insidiæ, quod hæc putamus aduersus inimicos neq; male neq; iniuste adhiberi: manentq; & alte radices agunt. quæ nisi vsurpare aduersus inimicos caueamus, vici-  
 10 consuetudine postmodo etiã ad amicos trãserimus. Quod si recte Pythagoras in brutis animalibus adfuefecit suos ad vitãdam crudelitatem & iniurias, ideoq; & aucupes improbauit, & piscium redemptis capturis, dimitti eos iussit, omnique nō feri animalis eãde interdixit: multo profecto ho-  
 15 nestius est in dissensionibus & contentionibus cū hominibus. His inimicos nos esse ingenuos, iustos, & veraces, affectusque prauos & degeneres ac maleficos cōpescere. vt in consuetudine cum amicis animus plane sedatus omni abstinereat maleficio. Exercebat cum Domitio inimicitias Scaurus,  
 20 eiq; actionem iudiciariam iactauerat. ante diem iudicio dictum seruus Domitij ad Scaurum venit, indicaturus eorum aliquid quæ ad eam actionem pertinerent, Scaurumq; laterent. sed Scaurus indicium non admisit, hominemque correptum, ad dominum remisit. Cato Murenæ diem dixe-  
 25 rat ambitus, & argumenta quibus reum peragere criminis posset conquirebat. eum sequebantur, vt erat moribus receptū, qui obseruarent quid ageretur. ij persæpe quærebant è Catone, an ista die aliquid tractaturus esset quod ad iudicium Murenianum pertineret. si acturum se ea in causa quicquam negaret, fidem habebant viro, & discedebant. Hæc  
 30 quidem maximum continent argumentū Catonianæ existimationis. sed maius hoc est atq; pulchrius, quod iusticiam etiã aduersus inimicos adhibere adfuefacti nunquã iniuste sumus aut per fraudationem cum amicis acturi. Sed quoni-  
 35 am, vt dixit Simonides, omnibus castis castidem oportet esse innatam, ita etiam omnis natura humana profert studium rixandi, obrectationem, & inuidiam vanorū asseclã (vt ait Pindarus) hominum: non mediocriter profecto rebus suis cōsulerit, qui istas animi affectiones in inimicos quasi effun-

*Vitia contra inimicos & surpanda.*



si effundēs expurget, & cloacis, vt sic dicam, quibusdam ductis ista quā lōgissime a sociis & domesticis deriuat. Quam mihi animaduertisse Onomademus videtur, homo rationum ciuiliū peritus: qui cum in Chio orta seditione a sententiore staret parte, hortatus est socios, ne omnes aduersarios eiecerent, sed quosdam in ciuitate relinquerent. dicebat enim alioqui periculum fore, ne omnib. inimicis sublati cum amicis exituræ ipsi essent controuersia. Eodem modo isti in inimicos insumti prauī affectus, minus molesti erunt amicis. Necessē enim non est vt figulus figulo inuideat, & cantor cantori. sicut Hesiodus cecinit: neq; æmulationio maleuola inter vicinos, cognatos aut fratres necessaria est, altero ad opes prosperate, & successibus vtēte prosperis. *Initio Operum.*  
 Sed si omnino nulla alia ratio inueniri potest, qua rixis, inuidia, contentiōibus libereris: condocefacito te ipsum vt inimicorum lætis rebus mordearis, in iisq; studium concertandi tuum irita, imprime, acue. Sicut enim sciti agricolæ rosas & violas putant se facere meliores, si halia & cepas iuxta plantent: quod in ea excernitur quidquid alimentum acerbum inest aut fœtidum. ita inimicus quoque excipiens inuidiæ & malignitatis tuæ ictus, beneuolentiorē te amicis secunda vtentibus fortuna reddet atque commodiorem. Itaque cum inimicis contendendum est de gloria, potentia, aut licitis rei familiaris incrementis, vt non vramur modo si in hoc genere ab iis superemur, sed & omnia ea obseruemus vnde illi nobis priores fieri potuerunt, coneturque eorum vincere industriam, constantiam laboris, & temperantiam, nosque ipsi obseruemus. qua ratione dixit Themistocles, sibi Miltiadis Marathonia victoria famosos adimi. Qui enim inimicum existimat priores ferre in honoribus publicis, aut patrociniis, aut reip. procuratiōne, aut apud amicos vel principes: is si ab agendo & æmulādo omnino ad inuidendum & animo languendum se conuertat: inani certe inefficaciq; confictatur inuidia. Qui vero non excæcatur odio inimici, sed vitam eius, mores, dicta, factaque vt incorruptus spectator contemplatur: is pleraque eorum, quorum sinistra æmulatione correptus est, intelliget ei diligentia, prouidentia, probisque actionibus parta esse: eodemque contendens, studium honestatis gloriæque suum augebit, vanitate & socordia affectuum amputa-



amputatis. Sin eueniat, vt inimici adulando, nequiciose agendo, causas forenses tractado, aut operam mercenariam locando in rebus turpibus atq; illiberalibus videantur aliquid potentia in aulis rebus publicisve consecuti, fructum inde nonnullum percipere: non modo id molestiam nobis obicit nullam, sed & gaudium adferet, nostram libertatem vitamq; puram & contumeliae expertem iis opponentibus. Quidquid enim supra & infra terram est auri, comparari cum virtute non meretur: siquidem Platonem audimus. Est etiam in promptu Solonis illud habendum: 10

*Virtute ni  
hil pul-  
crus.*

*At nos Virtutem non permutabimus horum,*

*Pulcræque Virtutis munera, diuitiis.*

nedum virtuti nostræ præferamus acclamationes theatrorum epulis corruptorum, aut honores & priores accubitus apud eunuchos & pellices & satrapas regum. nihil enim ho- 15 rum dignum est admiratione aut æmulatione, neque pulcrum, quod à turpitudine proficiscitur, nisi quod amans obcæatur in consideratione rei amatæ, & facilius sentimus turpitudinem cum ea ab inimicis admittitur. Cæterū neque conceptum de eorum peccatis gaudium, neque do- 20 lor nobis ob eorum recte facta obortus ociosa esse debent: sed rationes vtrinq; instituendæ ita sunt, vt & eorum erratis cauendis præstantiores & imitandis recte factis non deteriores ipsis existamus. 25

PLVTARCHI DE AMICORVM  
*multitudine libellus.*

**M**Enonem Thessalum, qui in disserendo satis videbatur exercitatus, omninoque in summo (iux 30 ta illud Empedocleum) sapientia versari culmine, Socrates interrogauit, Quid esset virtus. eūque respondisset satis promte atque proterue, virtutem & pueri esse, & senis, & viri, & mulieris, & magistratus, & priuati, & domini, & serui: Tu vero, inquit Socrates, præclare, 35 qui de vna interrogatus virtute, velut apiarium quoddam virtutum excitasti. non male coniciens, abs ne vnam quidem cognitam habente virtutem homine, plures nominaret. Nonne nos quoque subfannauerit aliquis, qui cum ne vnam quidem firmiter coartraxerimus amicitiam, metui- 40 mus ne